



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXVII. Vtrum spes disponat ad Charitatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

bitus spei ad exercendos eiusmodi actus conditionatos.

Art. 1. Resp. Hæretici in primis, cæteri que infideles sunt incapaces spei in sensu composito infidelitatis. Quod constat ex dictis quæst. 32. de dependentia spei à fide. Hinc à fortiori neganda est spes damnatis, & etiam ob ea, quæ dicta sunt quæst. proximè præcedenti; ac demum ratione vniuersali, quia damnati spoliuntur omnibus donis supernaturalibus, & certissimè sciunt eorum omnium, maximè verò beatitudinis consecutionem esse iam impossibilem sibi; atque impossibilia, vt talia non cadunt sub spe. Deest igitur damnatis capacitas sperandi ex parte subiecti, & ex parte obiecti. Sed neque Beatis spes inesse potest, vel quoad actum, vel quoad habitum. Atque in primis suam Beatitudinem, eiusque æternam durationem sperare non possunt; quia iam illam habent, vidèntque æternum eam sibi esse adfuturam. *Quod autem videt quis, quid sperat?* vt ait Paul. 8. ad Rom. Id est, nequaquam sperare potest.

Art. 2. Ratio est, quia de concepto obiecti sperabilis est, non minus futuritio, & arduitas, quam possibilitas. Sicut autem Beatitudo respectu damnatorum, non habet possibilitatem; ita respectu Beatorum non habet futuritionem, saltem quoad substantiam; nec arduitatem quoad æternitatem durationis à parte post; Imò nullum prorsus bonum, siue proprium cuiusque Beati, siue pertinens ad alios, seu beatos, seu viatores, potest habere rationem ardui respectu eorum, coniunctam cum possibilitate propria obiecti spei Theologica. Quia promissionem diuinam de quocumque bono, vel vident, vt est in se ipsa, aut alio modo euidenter cognoscunt, vel nullam prorsus cognitionem illius habent. Quandoquidem cognitionem certam, & obscuram, hoc est, fidem, nullam habent, vt dictum est quæst. 25, nec magis habere possunt vllam cognitionem probabilem; quia hæc est exposita falsitati, cui repugnat beatitudo. Iam bonum, cuius promissionem nullatenus cognoscunt, patet ex supradictis, sperari ab eis nullatenus posse, nec tale bonum habere eam possibilitatem, quæ est propria obiecti spei Theologica.

Art. 3. Sed nec illud bonum sperare possunt, cuius promissionem, aut vident in se, aut euidenter cognoscunt. Quia eo ipso tale bonum nullam habet arduitatem respectu eorum, cum visio, & euidentia futuritionis auferant ab obiecto omnem difficultatem consequendi, & conandi ad consecutionem; omnemque consecutionis contingentiam, tum realem, tum apparentem; quod non facit fides, quia comparitur secum apparentiam oppositi; & ideo obiectum, prout illi subest, retinet arduitatem, vt dictum est quæst. 34. ad 6. Ergo spes neque beatis, neque damnatis conuenire potest, quoad actum, & quibus repugnat actus alicuius virtutis permanenter per totam æternitatem, neque quoad habitum eadem virtus inesse potest, vt dictum est in simili circa fidem q. 5. 1. ad 3. Soli ergo viatores nondum consecuti gloriam, & potentes illam consequi sunt subiectum capax spei, quoad actum, & habitum; proximè si habeant fidem, remotè si illa careant.

Ad 1. Potentia proxima ad actum spei constituitur intrinsecè per actum fidei, vt dictum est quæst. 32. Actus autem Fidei nequit præscindere omnino à statu beatitudinis, & reprobationis; quia est intrinsecè impossibile cum visione beata, & cum miseria damnati, vt sæpè dictum est; atque ideo affirmando, & representando existentiam sui, saltem virtualiter, negat existentiam vtriusque illius status pro toto instanti reali; & quidquid sit de representatione, sufficit ipsam esse intrinsecè impossibilem, vti est, cum vtroque illo statu, ne spes essentialiter pendens

ab actu fidei componi possit cum alterutro eorum. Quapropter transeat sufficere ad spem præcisionem, de qua in obiectione, dummodo aliud non obstat. Ad confirmationem spes est causa tantum meritoria beatitudinis; non est autem de ratione meriti composibilitas cum suo effectu, aut cum termino, ad quem perducit, sicut est de ratione causæ Physicæ efficientis, ac perducantis.

Ad 2. Christus Dominus, & cæteri Beati non sunt capaces spei propriè, & strictè sumptæ, sed solum sumptæ latè, & impropriè pro quouis appetitu boni absentis possibilis; tamen arduum non sit respectu appetentis. Nempe nihil est, quod arduitatem propriam obiecti spei habere possit respectu videntis Deum, vt est in se, vt dictum est supra.

Ad 3. Respondetur idem, quod dictum est de fide, nempe non ornari beatum, qualitate æternum otiosa ex sua natura respectu sui subiecti, & propria miseri, dum miser est.

Ad 4. Nulla virtus potest exercere actus purè conditionatos, habente rationem conditionis motiuo eius, & honestate ipsius motiui; quod scilicet necessè est, vt influat absolutè in actum exercitum absolutè, licet tendat conditionatè in obiectum. Dictum autem est beatis non solum deesse obiectum materiale spei, seu bona sperabilia; sed etiam motiuum formale, & rationem sperandi. Deinde non est opus virtutis, & prudentiæ, velle, ac intendere conditionatè, sub conditione, quæ euidenter cognoscitur nunquam esse ventura, & repugnare elicenti talem actum, vt ea aliquando eueniat. Perperam enim, ac insipienter intenditur opus, taliter circumstantionatum respectu intendentis.



QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum Spes disponat ad Charitatem?

VIDEATUR potius impedire. 1. Quia spes est amor concupiscentiæ: afficitur enim, qui sperat in bona propria sperantis, quod est proprium concupiscentis. At Charitas est amor amicitiae. Per Charitatem enim afficitur erga alterum, qui cum diligit charitatiuè intendendo eius bonum. Amor autem concupiscentiæ, & amor amicitiae pugnant inter se, & quantum adest de altero eorum, tantumdem recessit de altero. Ergo spes non potest esse dispositio ad Charitatem.

2. Cum Charitas peruenit ad statum perfectum, quem solum obtinet in Patria, est prorsus impossibilis cum spe, quam videlicet nuper dictum est, esse impossibilem cum visione beata. Quod autem disponit ad aliquid, non potest, ex sua natura, esse impossibile cum eius perfectione; sed potius perfectio prioris confert ad perfectionem posterioris. Ergo spes non est dispositiua, sed impeditiua respectu Charitatis.

3. Inter homines is censetur inire amicitiam cum aliquo perfectè, qui illam inuit, nec præoccupatus beneficiis, nec ductus spe lucri. Cum ergo amicitia cum Deo, seu Charitas sit perfectissima, amicitia ex sua ratione multò magis aliena esse debet à spe donorum, quæ à Deo provenire possunt; ita vt spem nullatenus præsupponat tanquam dispositionem respectu sui, in qua fundetur, & ex qua ducat degenerem originem. Debet igitur spes subsequi ad Charitatem, & amicitiam cum Deo, tanquam effectus ex sua causa, & non

vice.

vice versa subsequi Charitas, & amicitia ad spem, tanquam medium opportunum ad lucrum intensum per ipsam.

Resp. Communis, & indubitata sententia Theologorum est Spem simul cum fide disponere ad Charitatem; idque constat ex dictis quæst. 12. & confirmatur, quia nemo init amicitiam cum illiberali, insuavi, nullumque potente afferre gaudium, ac delectationem amanti; neque hæc sunt prædicata allicientia ad amicitiam, sed efficacissime repellentia ab illa. Rursus amicitia est essentialiter communicatiua bonorum mutuo, ut dicitur infra ex Philosopho; ac proinde est summè communicatiua, quæ est summa amicitia, uti est Charitas. Ergo repugnat, ut quis ineat amicitiam cum aliquo, quin præcognoscat dari utrinque aptitudinem ad mutuam eiusmodi communicationem. Nec enim iniri amicitia potest, quin præcognoscatur iniri eam posse; idest dari illam aptitudinem in utroque amico, seu apto, ut sit amicus. Habita autem præcognitione de aliquo, ut liberali, suavi, ac potente inducere in animum præcognoscentis tranquillitatem, & gaudium, cumque esse communicatiuum suorum bonorum, ex natura rei exurgit prius affectus spei, quam affectus Charitatis. Quia est facilius, quatenus prima cuiusque inclinatio est in seipsum. Atque hic affectus ex sua itidem natura inclinatur ad ineundam amicitiam, cum per ipsam obtineatur permanentiter, ac perfecte, præintenta communicatio bonorum: Imò ipsa amicitia sit præcipuum bonum, quod per spem intendi potest, inter cætera conferibilia ab eo in quo spes reponitur. Accedit in sacris literis inuitari omnes ad Charitatem, & dilectionem Dei; Quia inquirentibus ipsum bonus, ac remunerator est; & quia reficit, idest, cumulat donis Gratia venientes ad se, hoc est, ipsum diligentes: Ergo Deus intendit excitare spem in hominibus, ut per eam introducantur ad Charitatem. Ergo spes est dispositio ex sua natura ad Charitatem.

Ad 1. Spes est quidem amor concupiscentia respectu bonorum, quæ sperat distincta ab eo, ex quo ea sperat; non tamen est amor concupiscentia respectu Dei; sed est initium amoris amicitia, atque amicitia quædam inchoata; & imperfecta, sicut dicit Philosophus de Bencvolentia 8. Ethic. cap. 3. & 4. Ratio est, quia quæ amantur amore concupiscentia proprie tali, possidentur per amorem ipsi amanti. Amans enim concupiscendo seipsum constituit finem cæterorum quæ amat, quod minimè facit spes Theologica respectu Dei, quia fertur in Deum amando ipsum super omnia; ac proinde, & supra ipsum amantem, ut liquet ex tota quæst. 4. & ex quæst. 33. ad 4. Ergo Spes Theologica non repugnat Charitati; sed maxime congruit, & ad eam disponit.

Ad 2. Perfecta dilectio Patriæ est impossibilis cum spe; non ex eo, quod spes formaliter ratione sui apponat impedimentum perfectioni amicitia; sed tantum præsuppositiue, quatenus spes fertur in bona absentia, quorum absentia repugnat vltima, & summa perfectio amicitia cum Deo. Deus enim cum summè, & perfecte amat aliquem, eo ipso facit illi esse præsentia omnia sua bona; atque ita indirectè impedit spem amati erga se; impedit nimirum ne speret aliquid, data omnium possessione, & substituit spei plenitudinem gaudij de bono proprio gaudentis. Quod gaudium, cum non minùs adhæret bono proprio gaudentis, quam spes, sed multò magis, repugnaret spes ex sua ratione formali, & non tantum præsuppositiue. Igitur spes nihil repugnat; sed magis suffragatur toti perfectioni amicitia, quæ possibilibus est pro eo statu rerum, quem eadem spes essentialiter præsupponit, solumque est impossibilis

cum ea perfectione amicitia, quæ tollit eundem illum statum rerum.

Ad 3. Distinguendum est inter homines duplex genus bonorum, quæ vnu quisque ex aliis sperare potest. Alia namque sunt bona, quæ non possunt haberi ab eo, qui illa sperat, absque iactura eius, ex quo ea sperat; qualia sunt pecuniæ, & quæ pecuniis æstimantur; & spes istorum bonorum non potest introducere perfectam amicitiam; quia affectus nocivus amico nocet etiam amicitia. Alia sunt bona, quæ non pereunt habenti ex eo, quod communicentur aliis, sed meliùs, ac delectabiliùs habentur, cum aliis communicantur; qualia bona sunt instrumentum se iniicem, communicantium mutuo secreta cordis, & iuvantium se mutuo in studio virtutis, augmento honoris, & similibus; atque spes istiusmodi bonorum, uti nihil nocet amico, ita nihil aduersatur amicitia, sed ad eam potius inuitat. Spes autem collocata in Deo est huius secundi generis; quia Deus impertitur nobis omnia bona nostra, absque vlla iactura propria, & cum tanta gloriæ suæ accessione, quanta est sua erga nos beneficentia. Ergo spes diuina diuinæ Charitati, eiusque perfectioni repugnare nunquam potest; licet repugnet amicitia humanæ aliqua spes hominis fundata in homine.



Incipit quarta pars de Charitate.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum motium formale Charitatis, sit summum bonum quatenus bonum sibi ipsi?

IDETVR non esse. 1. Quia Charitas fertur in Deum, ut vltimum finem nostrum, & quatenus communicabilem per visionem, & fruitionem circa ipsum, seu in quantum est beatitudinis obiectum, ut docet D. Thomas in præsentia quæst. 2. art. 1. 3. & 4. atque alij communiter ibidem. Deus autem, ut vltimus finis noster, & ut obiectum beatificum est summum bonum nostrum. Ergo Deus non est motium Charitatis, quatenus est bonus, sibi, sed quatenus est bonus nobis.

2. Charitas amat Deum, propterea ipse vult amari à nobis; nec enim potest esse affectus Charitatis erga Deum, qui non est conformis eius voluntati. Deus autem vult, ut ipsum amemus, ut fontem bonorum omnium, & principium totius nostræ felicitatis, ut liquet ex motiuo, quod in quæstione præcedenti sub fin. respons. ad quæst. indicatum est, ab ipso proponi, cum nos inuitat ad dilectionem sui. Frustra enim illud proponeret, si non intenderet, ut ipsum diligeremus propter motiuum ab eo propositum. Ergo Deus, ut summum bonum nostrum, atque ut principium, & fons omnium nostrorum bonorum, est motiuum Charitatis.

3. Amor Charitatis continetur sub genere Amoris; ut sic latissimè sumpti. Est autem de ratione amoris, ut sic, ut feratur in bonum proprium amantis; seu quod sit bonum respectu amantis. Nemo enim afficitur ad bonum non suum, seu quod non habet rationem boni respectu ipsius. Quia bonum est appetibile, vnicuique verò proprium, ut docet Philosophus. Impossibile igitur est, ut charitas feratur in Deum, præcisè quatenus sibi ipsi bonus est; & quin respiciat eundem, ut eadem bonitate bonum amanti.